



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quomodo procedendum sit contra Clericos, qui publicè concubinas habete dicuntur, sed citati & examinati negant se Concubinarios esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

dimittere tamen neglexerint, à beneficiis Ecclesiasticis suspendi jubeantur, donec congruè satisfecerint; vel etiam in perpetuum privari debent, si suspensi retinere eas præsumperint, cum contumaciâ crescente, crescere etiam pœna debeat: non volunt tamen SS. Canones in *c. Clericos 3. h. 2.* ut jurare cogantur tales concubinarij Clerici, quòd dimittere velint concubinas suas, ne si forte in idem fornicationis vitium reincidant, perjurij etiam reatum contrahant. Quia tamen de pœnis talibus variè loquuntur jura antiqua, & aliter etiam statuit Tridentinum *sess. 25. c. 14. de reformat.* & aliter etiam statuta sæpe Diœcesana puniunt, videantur hæc ab illis, qui pœnas dicere debent.

§. III.

Quomodo procedendum sit contra Clericos, qui publicè concubinas habere dicuntur, sed citati & examinati negant se Concubinarios esse.

In *Ne. Tuanos 8. h. 2.* ad hanc quæstionem respondet Pontifex, quòd si crimen (concubinatus scil.) illorum: ita publicum sit (propter vehementia indicia) ut meritò notorium habeatur, ex facti evidentia, tunc ad condemnandum talem Clericum, nulla alia probatio, aut accusatio necessaria est, sunt tamen etiam in hoc casu testes producendî, ad probandum notorium, si crimen neget Concubinarius, prout etiam probatio per testes est necessaria de crimine, in eo casu, quo famâ quidem publicâ concubinatus talis Clerici spargitur, non tamen evidentiâ facti per

vehementia indicia notorius est, tunc potest Judex publicè tali infamato purgationem canonicam indicendam.

§. IV.

An & qualiter sacerdos aut Clericus concubinarius, aut fornicarius visandus sit in Missis, & alijs Divinis officiis.

Contra Concubinarios, aut fornicarios Sacerdotes adeò severè loquuntur antiqui Canones, ut præscribunt etiam Missam talis Sacerdotis audiri si notorium de eo sit (vel facti evidentia, vel per sententiam Judicis, vel per confessionem Rei in jure factam) quibus concubinam habeat; ut hujusmodi reprobore pœnz, alij à peccato tali suspensentur; quam pœnam dicunt aliqui suspensionem aliquam esse: quia tamen Tridentinum hujus pœnz non mentionem & Constantiense Concilium alios detrahendos non putavit, quàm publicè denunciatos, & Clericorum percussos, idèò nulla hodie pœnz hujusmodi concubinarios notorios statuta præstat.

§. V.

Proponuntur quæstiones relativas circa Notorium, quid, & quomodo probari debet?

Notorium in genere definitur quòd sit jus vel factum aliquod manifestans in notionem seu notitiam omnium, vel majoris partis eorum; Est autem notorium triplex, Juris, facti & præsumptionis. Juris notorium dicitur illud, quod certè est illis, quæ in judicio aguntur, ita ut per notorietatem notorium aliquid esse probetur vel quòd sponte rem eam in judicio agatur.